

D V C A T V S
P A R M A,
E T
P L A C E N T I A.



Vx Parmæ & Placentiæ, Duci Mutinæ & Rhegii ad orientem vicinus est: terminatur ad meridiem Liguria five Genuensium Republica: ad occidentem vero & septentrionem Statum ha-

bet Mediolanensem.

Parma.

Parma ab antiquis omnibus iisdem effertur litteris. Nomen illi ab amne Parma; ex aliorum mente, ab figura, quod parmam, hoc est, breve scutum referat. Aedificiis est splendida, plateis ornata rectis largisque; rebus ad vitam necessariis adfluens; incolarum nobilitate, civiumque frequentia celebris. Situ est admodum plano, cœlo summe salubri; adeo ut Plinius Parmenses tradat, tres quidem, annos 120, duos vero, 130 vixisse. Eam neque hiems, neque æstas adfligit. Castrum habet munitissimum: Principum & illustrium familiarum palatia non pauca. In foro satis amplo, fons pulcherrimus; & templum ad imitationem S. Petri Romani exstructum; campana tribus imposta columnis; turris persimilis Bononiensi. Separatur ab suis suburbiis fluvio cognomine. Conditam ab Chryso Trojano, Pallantis comite, & ab eo Chryso polin dictam scribit Sicardus Cremenfis. Patria est Cassii poetæ, & Macrobbii. Genuit & Parma Blasium, excellentem Philosophum & Astrologum; Albertum Galeottum, Bernardum Parmensem, Guilielmum Aremundum, Iacobum Arenanum, Iuriscultos, scriptis claros: Gerardum Blancum, Cardinalem circa annum 1280; Guidantium Arcimboldum, Mediolani Archiepiscopum, & inde Cardinalem; Hieronymum Palavicinium, Laudensem Antistitem, Bernardum Rubrium, Tarvisinum Episcopum: Ioannem, Generalem Ministrum Ordinis Minorum, & Ioannem, Prædicatori Ordinis monachum: Theologos scriptis celebres: Gregorium Anselmum, Medicum & Philosophum: item Antonium Camaldulensem, Græcæ Latinaque litteraturæ doctissimum, Franciscum Marium Grapaldum, Thadæum Vgolettum, Nicolaum Brucium, Franciscum Carpesanum. Militares viros dedit cum primis Rubrios; puta, Orlandum, Petrum, Petrum Mariam, Gui-

Italia.

donem. Episcopatus floret titulo. Incolæ venusti, nobiles, Martii, animosi, genio ingenioque præstantes. De iis Iulius Scaliger:

Episcopatus.

*Inventum mediis præclarum nomen in armis,
Prædita quo sit gens ignea Marte docet.
Ingenium rapidum facili flammatur ab ira;
Sed viget in patulo pectore purus amor.
Magnanimo precium est non displicuisse pudori,
Hoc satis, officio cedere turpe putat.*

Ab Thuscis, ut multæ his locis aliæ civitates, condita, à Bojis inde possessa, lapsu temporis Romanos habuit dominos: qui anno 570, quo tempore Mutinam, eo coloniam duxerunt. Calamitatem ab L. Antonio inlatam deplorat Marcus Tullius Philippica ultima. Conlapsa auctoritate Romani nominis, libera cum aliis cœpit esse; sequuta nunc Cæsares, nunc Pontifices Romanos, Bononiensibus semper amica & conjuncta. Gravem passa est totum biennium obsidionem ab Frederico II, Imperatore circa annum 1248, quod partium esset Pontificiarum. Eo inde profligato, varios habuit regulos, Corregios, Scaligeros, Atestinos, Vicecomites, Galeatios, Sfortias, Gallos denique, quibus cum sæpe de urbis dominatu certavit Pontifex Romanus, qui ope & auxilio Karoli V Imperatoris, Gallis tota Italia pulsus, rerum solus deinceps in urbe est potitus. Hodie suos habet Duces. quorum primus à Pontifice Maximo institutus est Petrus Aloysius Farnesius, Pauli III P. M. filius, quo crudeliter intra biennium cæso, subrogatus est Octavius filius, eique defuncto Alexander, Belgicæ Gubernator; cui mortuo successit ante aliquot annos filius Rainutius. Haud procul urbe amphitheatrum fuit, ut Agathius refert libro primo belli Gothici. Ager suburbicarius amœnus est, & frugum vitiumque optimarum fertilis, aquis medicatis pascuisque latissimis felix: cuius caseus & vellera summam merentur commendationem. Laudat vellera Martialis:

Res gestæ.

Duces.

*Tondet & innumeros Gallica Parma greges:
Eorundem præstantiam insinuat hoc versu:*

*Velleribus primis Apulia, Parma secundis
Nobilis, Atinum tertia laudat ovis.*

Placentia vetusta nobilisque civitas est, quæ vulgo *Piacenza*. Dictam volunt quidam a *Placentulo* quodam Trojano, conditore. Deinde à *Peuentio* Gallo instauratore *Peuentiæ* nomen

Placentia.

A a

acce-